



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Mauri monasterium, vulgò Maursmunster, quarto ob Argentina milliari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

cijs consecrata, vt VVelteburgij, quod ipse Valentiam vocat, & extra mœnia Reginoburgensia. sancto Georgio, tutelari Christianorum militum, quadam sancto Martino Maximilianoque templa dicata, quæ adhuc monstrantur.

Alibi idem Auentinus libr. sexto scribit. Eodem tempore Hardonicus Episcopus Reginoburgensis Valentiam, hoc est, VVeltenburg, templum D. Georgio dicatum, pulsus monachis Benedictinis tradit Canonicis Regularibus D. Augustini, accito Hardonico eius ordinis, ex monasterio sancti Floriani in Austria, supra Anassum. Conradus itidem Episcopus Reginoburgensis, quinque post annos monachos Benedictinos rursus restituit, ipsisq; Fridericum præfecit. Monasterium hoc Danubio septum est, quinque millibus passuum infra Abensperg, vbi cerneret Artobrigæ, quæ, teste Ptolemæo, caput olim Vindelicorum fuit, monstrantur. De qua Aduentinus 2. & 3. libro Annalium latius scripsit.

Ita Hundius in Metropoli Salisburgensi.

Mauri monasterium, vulgò Maurismunster, quarto ob Argentina milliari.

SItum est opidum & cœnobium, Maurismunster nuncupatum, quarto lapide ab Argentorato Germaniæ vrbe celebri. Eo loci Seobaldus vir pius ac sanctus oratoriū cōstruxit an. Domini 583. fauente ac dotante Childeberto.

Rege

Rege Austrasiæ, qui fuit filius Clodonæi I. Christiani Gallorum Regis. Primus Abbas fuit *B. Leobardus* S. Benedicti Abbatis in Casinensi monasterio discipulus. Secundus fuit *Maurus*, S. Pirminij Meldensis Episcopi discipulus, à quo cœnobium istud, Mauri monasterium est appellatum. Ita Bruschius, lib. cit.

CAPVT XII.

S. Medardi monasterium, ad muros vrbs Sueffionensis, in Gallia.

Visum in prospectu vrbs Sueffionensis *B. Medardi* monasterium, cuius vt celebritas & præstantia aliqua ex parte noscatur, placuit nonnulla cum ex Archiuis accepta, tum ex antiquitatis vestigiis ac rudibus obseruata conuertere. Primum vt ad ipsius templi à *Carolo Caluo* iam eum extructi partem summè orientalem veniamus, duorum illic Regem Franciæ, *Clotharij* videlicet ac *Sigeberti* filij eius monumenta, loco veluti subterraneo, visuntur. Non procul inde cernitur *B. Medardi* lapideum * sepulcrum, duabus columnis pariter lapideis suffultum. Septentrionali parte Ecclesiæ, habetur lapis durissimus, humani capitis mensuram quater excedens, quem ex loco *Dominicæ*

* *Meminit illius Greg. Turonens. lib. de glor. Confes. §. 95.*

Aicen-